

Aleksy Petrani

De bilinguibus lectionibus liturgicis

Collectanea Theologica 18/1-2, 1-31

1937

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

DE BILINGUIBUS LECTIONIBUS LITURGICIS ¹⁾.

Vigens usus cantandi in pontificalibus a Papa celebratis epistolam et evangelium graece ac latine in ecclesia romana, si Rodotà credere placeret, saeculo IX introductus est²⁾. Rectius autem Cardinalis I. Schuster usum illum ex liturgia bilingui saeculi V reliquias esse asserere videtur³⁾.

Quae lectiones bilingues Romae initio legendae erant diebus vel temporibus sequentibus:

1-o. In maioribus sollempnitatibus, ut prima dies Nativitatis D. N., vel prima et secunda dies Paschatis. Ordo Romanus XI, a Benedicto canonico S. Petri tempore Innocentii II (1130—1142) redactus, ad dies memoratos ita habet: „Prior subdiaconus latinus et subdiaconus Graecus portant libros ante pectus suum cum duobus subdiaconis...“, „Finita laude, subdiaconus Latinus legit Epistolam Latinam, deinde subdiaconus Graecus legit Epistolam Graecam, Archidiaconus et diaconus Graecus ferentes librum ante pectora sua cum quatuor subdiaconis, acolythi ferentes candelabra ante eos manent cum candelabris accensis ante pulpitum,

¹⁾ Cf. Rodotà Pietro Pompilio, Dell' origine, progresso e stato presente del rito greco in Italia osservato dai greci monaci basiliani e Albanesi. Libri tre. Roma, 1758—1760—1763. Praesertim: Liber III, cap. XVI. Del rito delle greche lezioni nelle funzioni ecclesiastiche latine nelle chiese d'Italia (p. 235—248). — Dr. C. P. Caspari, Ungedruckte, unbeachtete und wenig beachtete Quellen zur Geschichte des Taufsymbols und der Glaubensregel. Vol. 1—3. Christiania, 1866—1869—1875. Praesertim: Vol. III, Excurs II. Über den gottesdienstlichen Gebrauch des Griechischen im Abendlande während des früheren Mittelalters (p. 466—510).

²⁾ Opus cit., III, p. 242.

³⁾ *Liber Sacramentorum*, vol. V. Roma 1923, p. 4.

illi vero legunt Evangelia“ 4). Deinde: „Facta laude, prior subdiaconus basilicarius legit Epistolam Latinam, subdiaconus Graecus legit Epistolam Graecam. Duo cantores in pulpito cantant Graduale „Haec dies, quam fecit Dominus“. Primicerius cum schola respondet. Finitis cantibus, archidiaconus legit Evangelium Latinum, diaconus Graecus legit Evangelium Graecum“ 5).

Similiter Ordo Romanus XII, a Cardinale Cencio Savellio (Honorius III, 1217—1227) anno 1191 scriptus: „Finitis laudibus, legitur Latina Epistola prius, et postmodum Graeca, et Evangelium et Latinum et Graecum“ 6).

Anselmus vero episcopus Avelburgensis auctor saeculi XII (1145) generaliter testatur: „Italia antiquitus magna Graecia appellabatur, sicut antiquarum historiarum scriptores dicunt, et in urbe Roma utriusque linguae sermo usitatus vigeat, et vicissim Latini Graeca et Graeci Latina lingua utebantur, et neutra fuit aliena Romam habitantibus. Unde factum esse videtur, ut quaedam Latinis, quaedam etiam Graecis nominibus nuncupentur in Ecclesia; et inde institutum est quoque in ordine Romano, quod in summis festivitatibus ad Missarum sollemnia Lectiones et Evangelia Latine et Graece recitentur propter praesentiam utriusque populi in utraque lingua eruditi“ 7).

2-o. In vigiliis Paschatis et Pentecostes, necnon in sabbatis Quatuor Temporum, cum praeter epistolam et evangelium aliae quoque sive partes scripturisticae sive antiphonae duabus in linguis perlegebantur.

Papa Benedictus III anno 855 antiquum lectionarium in cappella pontificia restituere praecepit, de qua re Anastasius Bibliothecarius in vita Pontificis testatur: „Tale dignum similiter volumen praeparare studuit, in quo graecas, et latinas lectiones, quas die sabbato sancto paschae, simulque sabbato pentecostes subdiaconi legere soliti sunt, scripturas adiungi praecepit“ 8). Verba: „quas subdiaconi legere soliti sunt“ ritum, de quo agimus, saeculo IX antiquiorem esse, concludere sinunt.

4) Migne, PL. 78, col. 1033.

5) „ PL. 78, col. 1044.

6) „ PL. 78, col. 1079.

7) Dialogi tres adversus Graecos, lib. III, cap. 16 (Migne, PL. 188, col. 1233).

8) Migne, PL. 128, col. 1354.

Deinde in Ordine Romano I, ante saeculum IX composito, legitur: „Deinde lector exiit se planeta; ascendens in ambonem non pronunciat: „Lectio libri Genesis“, sed inchoat ita: „In principio fecit Deus coelum et terram“ (Gen. 1, 1); nam et omnes sic inchoantur. In primis Graeca legitur, deinde statim ab alio Latina. Tunc primum surgens pontifex dicit: „Oremus“, et diaconus „Flectamus genua“, et datur oratio a pontifice, et legitur lectio Graece: „Factum est in vigilia matutina“ (Ex. 14, 24 ss.), et ab ipso cantatur canticum hoc Graece „Cantemus Domino“. Post haec ascendit alius et legit supradictam lectionem Latine. Deinde pontifex surgens dicit: „Oremus“, et diaconus ut supra; et datur oratio. Post haec legitur lectio Graece: „Apprehendent septem mulieres“ (Jes. 4) et ab ipso cantatur canticum Graece: „Vinea“ (Jes. 5, 1 ss.). Deinde ascendit alius legere supradictum Latine; canticum Latine cantat suprascriptum. Et pontifex: „Oremus“, diaconus ut supra; et iterum legitur lectio Graece: „Scripsit Moyses canticum“ (Deut. 31, 23 ss.); et alius ascendens legit eam Latine. Deinde pontifex vel diaconus ut supra. Post hoc cantatur Psalmus: „Sicut cervus“ (Ps. 42) Graece; et alius ipsum Psalmum Latine⁹⁾.

Ordo Romanus X deinde similiter praescribit: „In sabbato sancto. Hora sexta omnes conveniunt ad ecclesiam excusso novo igne de crystallo sive de lapide, unde cereus debet a diacono accendi... Deinde procedatur ad benedictionem cerei. Interim dum cereus benedicitur, pontifex cum cardinalibus et caeteris scholis procedit ad altare et, facta reverentia, ascendit ad ornatam sedem. Subdiaconus vero, finita benedictione cerei, ascendens ambonem incipit legere sine titulo: „In principio creavit Deus coelum et terram“. Eo vero completo, si Dominus Papa velit, Graecus subdiaconus eandem lectionem Graece relegit; qua expleta, dicit pontifex: „Oremus“, diaconus: „Flectamus genua“ et post paululum „Levate“. Et vicissim dicant diaconi, si plures sunt: „Flectamus genua“ et „Levate“. Deinde sequitur oratio, et sic per ordinem XII Latine et XII Graece, sicut Domino Papae placet, vicissim leguntur“¹⁰⁾.

Similiter Ordo Romanus XI: „Ad sextam Sabbati sancti efficitur novus ignis, et cereus benedicitur, et leguntur duodecim

⁹⁾ Migne, PL. 78, col. 955—956.

¹⁰⁾ Migne, PL. 78, col. 1014.

lectiones Latine, et duodecim Graece, et cantantur tria cantica: „Cantemus Domino gloriose“, „Vinea facta est“, „Attende, coelum“¹¹⁾.

Vel iterum: „Sabbato Pentecostes ad officium baptismi leguntur sex lectiones Latinae et sex Graecae“¹²⁾.

Ordo Romanus XII quoque in capite XIV: Quid debeat Dominus Papa facere in Sabbato sancto sequentia habet: „Leguntur duodecim lectiones Latinae et duodecim Graecae, et cantantur tria cantica: „Cantemus Domino gloriose“ et „Vinea facta est“, „Attende, coelum“¹³⁾.

In sabbatis Quatuor Temporum iam ante tempus Bedae Venerabilis¹⁴⁾, i. e. ante initium saeculi octavi, sex lectiones latine et graece legebantur. Qua de causa dies illi „*Sabbata in duodecim lectionibus*“ appellabantur. Quod bene notatum est in Ordine IX: „Sabbato Pentecostes in duodecim lectionibus statio ad sanctum Petrum“. — Ad marginem vero legitur: — „XII lectiones propter XII lectores dicuntur, non propter XII varietates sententiarum“¹⁵⁾.

Deinde Amalarius, qui anno 812 floruit, in suo opere „*De ecclesiasticis officiis Libri IV*“ in Libro II, cap. I ita scribit: „De duodecim lectionibus. — Sex lectiones ab antiquis Romanis Graece et Latine legebantur (qui mos apud Constantinopolim hodieque servatur), ni fallor, propter duas causas: Unam, quia aderant Graeci, quibus incognita erat Latina lingua, aderantque Latini, quibus incognita erat Graeca; alteram propter unanimi- tatem utriusque populi“¹⁶⁾.

Pseudo-Alcuinus, auctor operis „*De divinis officiis liber*“, ex saeculo XI in cap. XXIX similiter testatur: „De Sabbato in duodecim Lectionibus. Lectiones duodecim propter duodecim lectores dicuntur, quia ab antiquis Romanis bis legebantur, hoc est Graece et Latine (sex enim tantummodo sunt), nisi fallor, duas ob causas: Una, quia aderant et Graeci, quibus ignota erat

¹¹⁾ Migne, PL. 78, col. 1041.

¹²⁾ Migne, PL. 78, col. 1049.

¹³⁾ Migne, PL. 78, col. 1076.

¹⁴⁾ Cf. Beda Venerabilis, Hymnus II, De celebritate quatuor temporum (Migne, PL. 94, col. 610).

¹⁵⁾ Migne, PL. 78, col. 1008.

¹⁶⁾ Migne, PL. 105, col. 1073.

lingua Latina, aderant et Latini, quibus incognita erat Graeca; altera causa propter unanimitatem utriusque populi. Qui mos apud Constantinopolim ubique hodie servatur¹⁷⁾.

3-o. In dominica proxime sequente electionem Romani Pontificis. Ordo XII enim dicit: „Et notandum, quod laudes ab archidiacono cum cardinalibus et subdiaconis et scrinariis, epistola Latina cum Graeca, et Evangelium Latinum cum Graeco et omnes aliae solemnitates tunc fiunt, sicut in feria secunda post Pascha“¹⁸⁾.

Idem in Ordine XIV, a Cardinale Jacobo Gaetano nepote Bonifacii VIII, qui postea ut Papa Clemens VI mortuus est, saeculo XIV scripto, legitur. Imprimis caput 17 inscribitur: „De epistola latina, et graeca, et evangelio latino, et graeco cantandis super pulpitem“. In capite vero 45 ritus consecrationis Papae in episcopum describitur et in fine concluditur: „Nota, quod semper, quando Papa celebrat solemniter, debent poni etc. Finitis laudibus, legitur primo latina epistola, et postmodum graeca, sicut etiam evangelium latinum, et graecum. Diaconus vero Cardinalis, dicto evangelio revertitur ad altare, nec expectat diaconum graecum, licet simul iverit cum Cardinali sequens ipsum“.

Eodemque saeculo XIV Petrus Amelius, sacrista Urbani V, postea poenitentiarius et bibliothecarius Gregorii XI et episcopus Senegalliensis, auctor Ordinis XV in rubrica X de secunda missa die Nativitatis Domini similiter scribit: „Finitis illis laudibus, cantatur Epistola Latina, postmodum Graeca. Subdiaconus Latinus exspectat subdiaconum Graecum; et postea ambo vadunt ad osculandum pedem papae, ducti per clericum caeremoniarium. Sic etiam legitur Evangelium Graecum et Latinum. Diaconus vero cardinalis dicto Evangelio revertitur ad altare, nec exspectat diaconum Graecum, licet iverunt simul, sed Graecus sequens illum. Ad Evangelium Latinum portantur septem candelabra, et immediate dicitur Evangelium Graecum cum duobus candelabris, et alia quinque portantur in altari“¹⁹⁾.

4-o. In hebdomada deinde Paschatis in Urbe psalmi quoque, cantica ac varii versus in utraque lingua liturgica cantabantur.

¹⁷⁾ Migne, PL. 101, col. 1228.

¹⁸⁾ Migne, PL. 78, col. 1098.

¹⁹⁾ Migne, PL. 78, col. 1279—1280.

Ita ex. gr. in rubrica ad primam diem festi legitur: „Dicit primus scholae, alleluja cum psalmo 112. Sequitur alleluja. Ὁ κύριος ἐβασίλευσεν Dominus regnavit etc.“.

Quo die Summus Pontifex in tribus variis ecclesiis Urbis vespervas ter celebrabat, deinde procedebat ad porticum templi S. Venantii, quod prope baptisterium Lateranense stabat. Ibi cum Cardinalibus super faldistoriis sedens vinum gustabat: „Deinde descendunt primates ecclesiae ad accubita, invitante notario vicedomino, et bibunt ter: de graeco semel: de pactis semel: de procoma semel“. Primum vinum ergo erat graecum, seu productum a Graecis regiones neapolitanas incolentibus. „Interim cantores surgunt et cantant hanc Sequentiam Graecam: πασχα ἱερον ἴμιν σημερον, qua Sequentia finita, eunt et osculantur pedes Pontificis et dat eis bibere coppam potionis. Sic omnes laeti recedunt“²⁰⁾. Textus sequentiae memoratae erat sequens: „Pascha sacrum nobis hodie ostensum est, pascha novum, sanctum pascha, mysticum pascha“²¹⁾. Deinde sequentibus diebus eodem modo officia, psalmi ac versus in lingua graeca quoque cantabantur, ut ex rubricis feriae II, III, VI ac Sabbati in Albis patet²²⁾.

Benedictus canonicus in suo Ordine XI narrat, quod in vigilia et in festo S. Johannis Baptistae post missam, quam Papa celebrabat, vinum similiter dabatur: „Et vinum ad potum omnibus graecis, et latinis“.

Anno vero 1409 in missa coronationis Papae Alexandri V, qui origine graecus erat, epistola et evangelium in linguis latina, graeca et hebraica (forsan propter Iudaeos quoque adstantes) cantata sunt: „Die autem Dominica immediate sequente, quae fuit dies septima Julii, dictus dominus papa Alexander V fuit coronatus in ecclesia cathedrali, ubi fuit celebrata missa solemnis. Et illa die fuerunt multa solemnia, ut puta de sepis combustis, dicendo, *Sic transit gloria mundi*, de epistola, et evangelio in Missa Graece, Hebraice, et Latine: de impositione tiarae, cum qua papa revestitus equitat per villam, et omnes praelati revestiti cum equis de panno albo coopertis: de lege Judaeorum, quae papae per Iudaeos praesentatur: et de similibus“²³⁾.

²⁰⁾ Migne, PL. 78, col. 1045.

²¹⁾ Migne, PL. 78, col. 1079 s.

²²⁾ Migne, PL. 78, col. 959—968, nn. 12—14, 17 ac 18.

²³⁾ Mansi, 26, col. 1233 (Concilium Pisanum an. 1409).

Benedictus XIII primo anno sui pontificatus, i. e. 1724, tum Sabbato sancto tum sabbato ante Pentecosten alumnum collegii graeci primam prophetiam graece quoque repetere iussit²⁴). Anno vero 1725 in feria VI maioris hebdomadae epistolam et evangelium diei graece etiam legere praecepit²⁵).

Privilegium in missa papali graece legendi epistolam et evangelium per longum tempus monachi Basiliani monasterii Cryptoferratensis retinebant²⁶). Postea id nonnulli sacerdotes saeculares sibi vindicaverunt. Demum Sixtus V die 1 septembris 1586 in litteris apostolicis „*Cum ex antiqua*“ ius illud alumnis collegii graeci in Urbe reservavit, quibus simul, ut ad servitium in cappella pontificia apti essent, ordines ab episcopis latinis recipere permisit.

Aliquando aliae quoque personae ad hoc officium praestandum admittebantur. Anno 1447 in coronatione Nicolai V Cardinalis de Sant' Angelo evangelium latine cantabat, quod deinde archimandrita ex monasterio Cryptoferratensi in graeco repetebat²⁷). Die Paschatis anno 1481 cubicularius Isaac Argyropulos graecam epistolam et Abbas monasterii S. Balbinae graecum evangelium cantabant²⁸). Die Nativitatis Domini anno 1513 certus Guarino vel Favorino graece epistolam legebat, deinde a Leone X in episcopum promotus adhuc anno 1516 in Nativitate Domini ac anno 1517 die Paschatis graecum evangelium cantabat²⁹). Anno 1638 epistolam alumnum collegii graeci, evangelium vero quidam scriptor Bibliothecae Vaticanae graece legebant³⁰).

Praedicti subdiaconus et diaconus graeci, in missa papali ministrantes, ut membra cappellae pontificiae considerabantur, ac proinde vestimenta sacra latina induebant. Ita ex. gr. Cardinalis Jacobus Gaetanus in Ordine XIV in rubrica super coronatione Papae dicit: „Item duo Graeci, quorum unus indutus

²⁴) Cf. Rodotà, opus cit., III, p. 245 et 247.

²⁵) Cf. Moroni, Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica, t. VIII, p. 307.

²⁶) Cf. Benedictus XIV, „*Inter multa*“, 4 Aprilis 1747.

²⁷) Moroni, Dizionario, t. XXII, p. 230.

²⁸) Diarium Jacobi Volaterrani in citatione apud Moroni, Dizionario t. XXII, p. 230.

²⁹) Moroni, Dizionario, t. VIII, p. 144.

³⁰) Pompilio Totti, Ritratto di Roma moderna, p. 452, in citatione apud Moroni, Dizionario, t. XIV, p. 169.

alba, et tunicella legat epistolam congruentem diei: alius sit indutus paramento et dalmatica et cantet evangelium, quod congruat diei³¹. Quem usum Benedictus XIII mutavit et praecepit, ut ministri, qui praedictum officium implent, sive graeci sint sive alii, semper paramenti ritus byzantini vestiti essent³¹).

Aliquando scilicet officium praedictum etiam non graeci implent. Ita ex. gr. cum in conclavi Venetiis habito Pius VII electus esset, coronatio novi Pontificis die 21 martii 1800 in ecclesia monasterii S. Georgii celebrabatur, duo vero armeni monachi mechitaristae officium illud implebant³²).

Subdiaconus et diaconus graeci, qui in missa papali ministrant, non semper de manu Pontificis communionem recipiunt. Imprimis tum quia illi totum officium diaconi vel subdiaconi non implent, sed solum evangelium et epistolam cantant, tum quia officium implentes saepe iam sacerdotes sunt. Tamen aliqua exempla adsunt. Ita die 20 martii 1856 graecus melchita, qui postea patriarcha Gregorius II Youssef creatus est, feria V hebdomadae sanctae in lavatione pedum Pio IX ministrabat ac de manibus Pontificis sacram communionem in azymo recepit, quamvis ipse a die 11 iunii 1854 sacerdos iam esset. Idem etiam die 8 decembris 1856 tempore definitionis dogmatis Immaculae Conceptionis BMV officium graeci diaconi implebat³³).

Praeterea Romae et in Gallia in antiquitate in prima missa in Nativitate Domini hymnus angelicus graece cantabatur, scilicet Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ; de qua re antiquum rituale ecclesiae Turonensis his verbis testatur: „Nos canimus illud graece iuxta morem antiquum Romanae ecclesiae, cui tam Graeci, quam Latini solebant antiquitus deservire; et a Graecis habitabatur maxima pars Italiae: unde lingua graeca non minus erat nota etiam Latinis, quam latina: et quia LXX interpretes utrumque (?vetus) Testamentum transtulerunt ex Hebraeo in Graecum, et inde translatum est in Latinum; ob honorem, et reverentiam linguae graecae cantamus canticum angelicum graece in prima quidem missa, sed in secunda latine. Decet enim ut graeca praecedat latinam tamquam mater filiam, graecamque latina sequatur ceu filia

³¹) Moroni, Dizionario, t. XIV, p. 169; Rodotà, opus cit., III, p. 243.

³²) Moroni, Dizionario, t. VIII, p. 171.

³³) Archivum Collegii Graeci in Urbe, Reg. XVI, folia 26—27.

matrem. Unde temporibus Gelasii papae, antequam Gregorius introitus missae composuisset, omnes missae incipiebant a *κύριε ἐλέησον ἡμᾶς*: „Domine miserere nobis“³⁴⁾.

Qui autem ritus in ecclesia romana diu conservatus non est; similis usus saeculis VII et VIII in Anglia et saeculo IX in dioecesi Coloniensi vigeat. Similiter aliae quoque partes sive missae sive aliorum divinatorum officiorum aliquando graece cantabantur.

Ritus legendi epistolam et evangelium latine et graece in missis solemnibus aliquando sat generalis erat in regionibus Italiae meridionalis. Ita ex. gr. latini canonici ecclesiae Tricaricensis in missa pontificali in memoriam ritus graeci illic olim vigentis epistolam et evangelium in lingua quoque graeca cantabant³⁵⁾.

In ecclesia cathedrali Rossanensi in Dominica Palmarum missa finita, ministri sacri in vestimentis coloris violacei cum alio clero et populo ad quemdam collem ante conventum Capuccinorum situm processionaliter procedebant. Ibi subdiaconus epistolam S. Pauli ad Romanos in lingua graeca et diaconus graecum evangelium S. Matthaei *Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis* cantabant. In fine celebrans orationem recitabat, in qua benedictionem divinam super agros implorabat³⁶⁾.

Brundusii in Dominica Palmarum clerus saecularis et regularis in solempni processione ab ecclesia cathedrali ad aliam quae *Osanna* appellabatur accedebat. Ibi epistola et evangelium a latinis quidem ministris graece cantabantur. Cum archiepiscopus Dionysius Odriscol anno 1659 memoratam caeremoniam tollere statuisset, canonici se opposuerunt et antiquum ritum conservare satagebant. Proinde ad Romanum Pontificem recursum fecerunt. Papa tandem re investigata archiepiscopo silentium imposuit³⁷⁾.

Consentiae in Calabria die Dominica Palmarum diaconus in processione evangelium in lingua graeca cantabat, postea episcopus ad populum sermonem habebat. Martene enim testatur: „Ordinarium ecclesiae Cusentinae: Mediante processione legit

³⁴⁾ Martene, De antiquis ecclesiae ritibus, Lib. I, cap. III, art. II, nr. 6. Cf. etiam A. Gastoué, La grande doxologie. — Revue de l'Orient chrétien, t. IV (1898), p. 280—290.

³⁵⁾ Cf. Rodotà, opus cit., I, p. 203.

³⁶⁾ Rodotà, I, p. 430.

³⁷⁾ Rodotà, I, p. 362.

evangelium graece diaconus, ascendens pulpitem, et versus ad orientem, quo dicto, sit sermo ad populum³⁸⁾. In eadem ecclesia in Epiphania Domini secundum morem Graecorum aqua solemniter benedicebatur. Cuius benedictionis ritus in rituali ab archiepiscopo Luca versus finem saeculi XII descriptus est: „Completis laudibus, et pronunciato ex more martyrologio, mox Domnus, vel Sacerdos, qui laudes celebravit, faciat solitum exorcismum salis et aquae, et circumstantes aspergat cum fasciculo hyssopi. Cappellani quoque Civitatis (i. e. parochi) aspergant inde fideles omnes die ipsa, tam in Ecclesia, quam ubicumque possunt, in memoriam Baptismi Dominici“³⁹⁾. Quae caeremonia ut propria ecclesiae graecae semper considerabatur.

Messanae in Sicilia in festo Circumcisionis Domini episcopo vel canonico missam in latina ecclesia cathedrali celebranti praeter ministros latinos etiam graeci subdiaconus et diaconus ad epistolam et evangelium graece cantandum assistebant. Post praefationem clerici graeci, latinis tacentibus, ἄγιος, ἄγιος, ἄγιος κύριος Σαβαώθ — et reliqua, prout in liturgia S. Johannis Chrysostomi continetur, cantabant. In fine missae astantibus licentiam abeundi primum diaconus graecus formula graeca dabat: ἐν εἰρήνῃ προέλθωμεν, in pace procedamus; deinde iterum latinus „Ite missa est“ cantabat.

Dominica vero Palmarum participante utroque clero latino scilicet et graeco ab ecclesia cathedrali sollemnis processio ad monasterium monialium S. Salvatoris, olim graecum, fiebat. Ibi latinus archiepiscopus et graecus protopapas simul altare ascendebant, ad dexteram archiepiscopus ad sinistram protopapas. Diaconus graecus legebat graece evangelium: *Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis*, quod latinus diaconus latine repetebat.

Feria V in Coena Domini cum archiepiscopus in ecclesia cathedrali olea consecrabat, inter sacerdotes unus graecus aderat ac proprio idiomate olea salutabat: χαῖρε ἄγιον ἔλαιον, — ave, sanctum oleum; χαῖρε ἄγιον χρίσμα, — ave, sanctum chrisma.

In die Pentecostes canonici latinae ecclesiae cathedralis ad graecam ecclesiam *Catholica* appellatam accedebant, exinde protopapam ad ecclesiam cathedralem processionaliter ducebant,

³⁸⁾ Martene, De antiquis ecclesiae ritibus, Tom. III, Lib. IV, cap. 20, nr. 5.

³⁹⁾ Ibidem Tom. I, Lib. I, cap. I, nr. 6; Tom. I, Lib. IV, cap. XIV, nr. 2.

ubi ille cum graeco clero solemnes vespervas cantabant. Vesperis autem finitis protopapas cum eadem pompa ad propriam ecclesiam a canonicis deducebatur. In omnibus illis processionibus protopapas, licet ipse ab archiepiscopo latino dependens esset, in signum tamen iurisdictionis super clerum graecum baculo duobus leonum capitibus in suprema sua parte ornato utebatur ⁴⁰).

In oppido Nardo vel Nerito anno 761 Paulus I sedem episcopalem suppressit, episcopium vero una cum mensa episcopali graecis monachis basilianis ex urbe Constantinopolitana exulibus donavit. Capitulum mansit. Administrationem dioecesis ordinarius Brundusii suscepit, qui ad sacramenta graecis ministranda unum ex monachis basilianis archipresbyterum constituit. Quapropter ecclesia cathedralis duos archipresbyteros, unum graecum et alterum latinum, possidebat. Archipresbyter latinus honorifico titulo *magnus et maximus* praesignabatur. Cum vero decursu temporum numerus monachorum graecorum valde decrescit, Urbanus II anno 1090 monachis graecis latinos benedictinos substituit, eius vero successor Paschalis II monasterium in Abbatiam provexit. Capitulum iterum manebat. Quod tamen Visitator Apostolicus a Clemente IV missus anno 1267 reformavit, atque inter alias praecepit, ut canonici occupando unam partem chori simul cum monachis benedictinis iuxta ritum benedictinum officium recitarent. Benedictini vero mores, consuetudines ac ritus Graecorum conservare tenebantur. Ita in posterum quoque latino episcopo vel abbate celebrante, subdiaconus et diaconus graeci simul cum ministris latinis missae serviebant, atque epistolam et evangelium graece legebant. In dominicis Adventus et Quadragesimae in utraque lingua ad populum conciones habebantur. Etiam in sabbato sancto et in vigilia Pentecostes, cum latini aquam benedicerent, ministri graeci aderant.

In festo Epiphaniae vero cum magna solemnitate consecratio aquae perficiebatur, cuius benedictionis tempore psalmi, antiphonae et preces a clero graeco et latino alternatim cantabantur.

Sebastianus Paulus praedictum ritum accurate descriptum nobis reliquit; proinde saltem praecipua momenta ex illo hic

⁴⁰) Cf. Johannis de Johanne, De divinis Siculorum officiis tractatus, Panormi 1736, p. 412; Rodotà, I, p. 456—459.

adducemus. „Ritus magnae et sollemnis benedictionis aquarum quotannis die Epiphaniae Domini in cathedrali templo Neritoniensi a Protopapa et sacerdotibus graecis peractae“. Die sexta ianuarii in Epiphania Domini post cantatas preces matutinas Protopapas ecclesiae Galatenae medius inter diaconum et subdiaconum sacris vestibus indutus e sacristia exit. Formatur processio. Sacerdotes latini ad dexteram sistunt, graeci sacerdotes et protopapae ad sinistram, omnes iterum alii alios secundum sacros ordines sequuntur vel praecedunt. „Post omnes venit Venerabilis Abbas inter canonicos cathedrales Ecclesiae cum mitra et pontificali pedo et omnibus pontificalibus ornamentis adstiturus praesens magnae sanctificationi aquarum“. Processio a choro altaris maioris ad narthecem ecclesiae, ubi in magno alveo aqua benedicenda praeparata est, antecedente cruce stationaria inter acolythos ferentes cereos accensos et thuriferarium thurificantem procedit.

„Interea gradiente, alternante choro latino et graeco cantatur alta voce Responsale“. „Protopapas incipit Symbolum Apostolorum voce alta et canora et chorus latinus et graecus respondet alternatim per versiculos cantando pari tono vocis usque ad finem“.

„Completo Evangelio Protopapas non stans, sed genuflexus in medio narthecis ante crucem prope alveum aquarum dicit alta et canora voce: Gloria Patri, Gloria Filio, Gloria Spiritui Sancto. Respondet chorus latinorum, et graecorum alternatim propria lingua, ut supra, Gloria, etc.“.

„Hoc finito Protopapas surgens intingit aspergillum ex hyssopo in alveo aquae benedictae, et dat Venerabili Abbati, et Venerabilis Abbas aspergit primum se, et postea Protopapam, qui accepto ab eodem Domino Abbate aspergillo, eadem aqua benedicta aspergit per circuitum primo Clerum, et deinde populum, et interim dicit remissa voce: Asperges me Domine hyssopo, et mundabor, etc.“.

Ritus neritinae ecclesiae superius descriptus a Sede Apostolica iterum iterumque probatus est. Cum anno 1580 graecus populus in civitate Neritina fere penitus defecisset, episcopus Fabius Fornarius Sanctae Sedi proposuit, ut residui adhuc in dioecesi graeci ad latinum ritum transire cogerentur et ritus graecus tali modo penitus exstingueretur. Cardinalis Sanctorius

de S. Severina anno 1585 negative respondet, atque simul ritum graece legendi epistolam et evangelium in missa pontificali latina retinere praecipit, licet graeci in dioecesi pauci sint; quod officium proinde per ministros graecos ex dioecesibus vicinis ac tandem in necessitate per clericos quoque latinos linguam graecam callentes praestare permittit. Similiter illa benedictio aquae in festo Epiphaniae Domini conservanda est, quae etiam in aliis latinis ecclesiis, ut v. gr. in patriarchali templo Venetiorum, peragitur. Et revera postea ipse episcopus latinus in ecclesia cathedrali praedictam caeremoniam implebat⁴¹⁾.

Galatenae quoque duae ecclesiae collegiatae, una graecorum Assumptionis BMV et altera latinorum Annuntiationis BMV, usque ad medium saeculum XIV existebant. Latini in ritu graeco et vicissim graeci in caeremoniis latinis participabant. In vigilia Epiphaniae sacerdotes graeci et latini simul officium recitabant, deinde graeci missae latinae adstabant; die festo autem sequente graeci latinis adstantibus aquam solemniter benedicebant⁴²⁾.

Aliquando Neapoli multos graecos habitasse Cardinalis Baronius notat: „Ita enim quod duplex populus contineretur in ea, nempe Latinus et Graecus, qui seorsum suos quisque sub capite tamen uno peragerent sacros ritus“ (ad an. 872, nr. 12).

Saeculo XIII Neapoli sex adhuc aderant paroeciae graecae, quarum parochi diebus festivis latinam ecclesiam cathedralem ad obsequium episcopo praestandum adibant. Praeterea sabbato sancto sex parochi illi graeci in ecclesia praedicta sex prophetias ante cerei benedictionem graece legebant, die vero Resurrectionis Domini *Credo* graece cantabant. Auctor enim chronicae S. Mariae de Principio ex medio saeculo XIII ita dicit: „In die Sancta (sabbati) sex Primicerii sex graecarum Ecclesiarum constructarum in ipsa Civitate... tenentur venire ad dictam Neapolitanam Ecclesiam, et cantare, seu legere sex lectiones graecas... Et in die Resurrectionis Dominicae, tenentur dicto Cimiliarchae assistere ad cantandum in illa *Credo in unum Deum*, in idiomate graeco“.

⁴¹⁾ Sebastianus Paulus, De ritu ecclesiae Neritinae exorcizandi aquam in Epiphania. Neapoli, 1719, pag. 96—251; Rodotà, opus cit., I, p. 388—396; Moroni, Dizionario, t. 47, p. 222 sq. „*Nardo (Neritonen.)*“.

⁴²⁾ Rodotà, I, p. 398.

Quem ritum archiepiscopus Johannes Orsino anno 1337 in constitutionibus pro ecclesia cathedrali datis immutavit sequenti modo: „In die Paschatis, dicto Evangelio, Dominus Archiepiscopus incipit *Credo*, in graeco sermone, si placet; et supradictus Archipresbyter S. Georgii ad Mercatum cum sociis suis, et Archipresbyter S. Mariae Rotundae decantant in graeco sermone in conspectu Domini Archiepiscopi: et alii cantores de choro repetunt alternatim in latino, cantando etiam in alta voce“. Quae caeremonia duravit per saeculum XIII et XIV, versus finem cuius cessavit⁴³).

In monasterio Benedictinorum S. Dionysii prope Parisias sito a saeculo IX usque ad Revolutionem una vice per annum missa romana in lingua graeca cantabatur. Deinde diebus Nativitatis DN., Paschatis, Pentecostes, Omnium Sanctorum et S. Matthaei epistola et evangelium in lingua quoque graeca legebantur. „Hodie — scribit Martene — in percelebri Sancti Dionysii in Francia monasterio epistola et evangelium in quinque praecipuis festivitatibus graece et latine pronunciantur. In octava vero Sancti Dionysii quidquid a choro in missa praecinitur totum graeco sermone canitur“⁴⁴).

Quod etiam faciebant Benedictini Cassinenses die festo S. Benedicti a tempore abbatis Petronacis, qui in fine saeculi VIII vitam agebat. Revera Mabillonius testatur: „...faciebant officium Graeci et Latini, sicut praeceperat Petronax abbas Casinensis. Hinc dubium suboritur, an monachi Graeci ab eo instituti fuerint in inferiore monasterio; an mixta in superiore ex Graecis Latinisque congregatio fuerit; an denique Graeci illi monachi ex vicino quopiam monasterio acciti fuerint ad celebrandum ejusmodi officium“⁴⁵).

Deinde in eodem monasterio, ut Leo Ostiensis anno 856 testatur: „Tertia feria post pascha summo mane universi fratres... cantabant tertiam, et deinde missam: *Venite, benedicti patris mei*, cum cantu promiscuo, Graeco videlicet atque Latino, usque ad completum evangelium“⁴⁶).

⁴³) Rodotà, I, p. 347—350.

⁴⁴) Ibidem, Lib. I, cap. III, art. II, nr. 10. Cf. Vincent, Note sur la messe grecque à l'abbaye de Saint-Denys, — Revue archéologique, 1864, p. 268 sq.

⁴⁵) Annales Ordinis S. Benedicti, t. II, Lib. 20, nr. 32, ad an. Chr. 720.

⁴⁶) Chronicon Casinense, Lib. 1, cap. 32 (Migne, PL. 173, col. 532).

Deinde die 24 aprilis 1900 in basilica SS. Nerei et Achilei in Urbe, cum Cardinalis Satolli occasione congressus internationalis archaeologiae christianae missam pontificalem celebraret, epistola et evangelium ex licentia Summi Pontificis latine et graece cantatae sunt.

Similiter factum est, cum die 10 novembris 1901 Cardinalis Rampolla ut legatus Papae abbatialem ecclesiam S. Anselmi in Aventino consecraret. Vel etiam, cum idem Cardinalis die 27 ianuarii 1908 plurimis orientalibus adstantibus in basilica S. Petri celebraret.

Hodie vero archiepiscopus Palermitanus in Sicilia diebus Nativitatis Domini, Paschatis et S. Rosaliae graece cantat formulam, quae evangelium graecum praecedit. Evangelium et epistola illis diebus a ministris graecis cantantur.

Leo XIII demum D. De Angelis, latino archiepiscopo Athenis, similiter facere permisit⁴⁷⁾.

Tum Amalarius tum Pseudo-Alcuinus, ut vidimus, de simili usu legendi epistolam et evangelium graece et latine in ecclesia Constantinopolitana testantur. Revera Constantinopoli in S. Sophia et Hierosolymis saeculo IX in festo Paschatis in solemni liturgia a Patriarcha celebrata evangelium latine quoque legebatur. Quod fiebat duplici modo, vel scilicet primum Patriarcha initium evangelii S. Johannis graece incipiebat, et archidiaconus periodum per periodum latine cantabat⁴⁸⁾. Vel integrum primum caput evangelii S. Johannis in lingua latina a diacono repetebatur⁴⁹⁾.

Deinde etiam, ut ex caeremoniali aliquo ecclesiae patriarchalis constantinopolitanae ex saec. X vel ex prima parte saec. XI patet, die 14 septembris in Exaltatione SS. Crucis aliquando evangelium latinum legebatur: „Ρωμαϊον (εὐαγγέλιον) ἐν ταύτῃ τῇ ἑορτῇ οὐ λέγεται, κωρικῆς μὲν οὐσίας“ (Latinum evangelium hoc festo non

⁴⁷⁾ P. Cyrille Charon (C. P. Karalevskiy), Le quinzième centenaire de S. Jean Chrysostome (407—1907), Rome 1909, p. 59.

⁴⁸⁾ Cf. A. A. Dmitrijewskij, Drewniejszije patrijarszije tipikony swiatogrobskij ierusalimskij i Wielikoj Konstantinopolskoj Cerkwi, Kiew 1907, p. 171.

⁴⁹⁾ Aleksiej Dmitrijewskij, Opisanije liturgiczeskich rukopisiej, chraniaszczychsia w bibliotekach prawosławnego wostoka, tom I, Τοπικα, Czast' I, Kiew 1895, p. 136.

legitur, si id die dominica non venit)⁵⁰). Propterea saeculo IX, cum imperator Michaël in latinos offensus eorum linguam barbaram et scythicam appellavisset, Papa Nicolaus I ipsi his verbis respondit: „Ecce quotidie, immo vero in praecipuis festivitibus inter graecam linguam veluti quiddam preciosum hanc quam barbaram et scythicam appellatis, miscentes, quasi minus decori vestro facitis, si hac etiam non bene, ac ex toto intellectu in vestris obsequiis, ac officiis non utamini... Istius enim dictione linguae, Constantinopolitana ecclesia lectionem apostolicam, et evangelicam in stationibus fertur primitus recitare: sicque demum graeco sermone, propter Graecos utique ipsas lectiones pronunciare“⁵¹).

Qui usus radices tam profunde immisit, ut neque odium in latinos, schismate iam peracto, illum evellere posset. Proinde saeculo quoque XI duravit, ut ex epistola Papae Leonis IX ad patriarcham Michaëlem (? 1054) patet: „Et vere: nunquid enim Romana et apostolica sedes, quae per Evangelium genuit Latinam Ecclesiam in Occidente, mater non est Constantinopolitanae Ecclesiae in Oriente, quam per gloriosum filium suum Constantinum, et nobiles sapientesque Romanos, non tantum moribus, sed et muris studuit reparare? Quod si contradicitis, ad quid vestro imperatori latinae laudes, et in Ecclesia Graecis recitantur Latinae lectiones? Utique ob reverentiam illius matris, quae iam cunctis paganorum crudelitibus et diversorum tormentorum quaestionibus vexata et impugnata, ac velut aurum, nimiis persecutorum flammis decocta, deliciosam filiam, videlicet Ecclesiam Constantinopolitanam edidit“⁵²).

Adhuc Nicephorus Callistus (anno 1335) de lectione graeci et latini evangelii Constantinopoli die Paschatis ac „primo anni ipsius ingressu“ facta commemorat⁵³).

Deinde Hierosolymis in caeremonia ignis sancti praeter epistolam et evangelium lectiones quoque in utraque lingua legabantur. Ita Fulcherius Carnotensis, narrans in sua Historia Hierosolymitana ad annum 1101 de miraculo ignis coelestis, qui in

⁵⁰) A. A. Dmitrijewskij, *Drewniejszije patrijarszije tipikony swiatogrobskij ierusalimskij i Wielikoj Konstantinopolskoj Cerkwi*, Kiew 1907, p. 290.

⁵¹) Nicolaus I, Epistola 8 ad Michaëlem Imperatorem, anno 865 (Migne PL. 119, col. 932).

⁵²) Migne, PL. 143, col. 761.

⁵³) Ecclesiastica Historia, Lib. XII, cap. 34 (Migne, PG., 146, col. 861).

vigilia Paschatis ad sepulchrum Domini accendi credebatur, his verbis testatur: „...et cum die illo basilica illa sanctissima de tanta gente plenissima existeret, horam circiter tertiam iussum est a patriarcha officium diurnum a canonicis incipi; quod lectiones legendo alternatim: prius Latinus latine; posterius vero Graecus graece identidem, quod Latinus legerat in pulpito relegit“⁵⁴).

Similiter auctor ignotus (? Bartolfus de Nangeio) in *Gesta Francorum expugnantium Hierusalem*: „Perlectis itaque diei Sabbati lectionibus et more solito graece et latine alternatim expositis omnique diurni officii ministerio peracto, patriarcha Daimbertus, reserato sepulcri ostio, solus ingressus est et lumine non invento tristis egreditur“⁵⁵).

Id quoque constat ex aliquo libro rituali hierosolymitano, quod licet saeculo XIII probabiliter conscriptum sit, divina officia tamen continet illa, quae latinum capitulum basilicae S. Sepulchri in prima occupatione latina i. e. ante annum 1187 ibi celebrabat. In quo rituali inter alias sequentia leguntur: „Sabbato sancto, hora sexta, patriarcha cum personis suis subfraganeis et ceteris clericis intrat ecclesiam, et ascendit in revestiarium, ubi se preparat cum archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus et ceteris ministris ad celebrandum in hac sanctissima nocte tam sanctum officium. His ita ordinatis, precedentibus candelabris, venit in sede sua, et antequam aliqua oratio dicatur, lectio prima: *In principio creavit Deus coelum*; ista et omnes alie sine titulo legantur et graeca et latina lingua pronuntiantur...“⁵⁶).

Initio saeculi XI graeci monachi Nilus et Bartholomaeus prope a Roma coenobium Cryptoferratense fundaverunt. Anno 1300 abbas huius coenobii Blasius II novum Typicon edidit, in quod secundum Dmitrijewskij, qui Typicon illud publicavit, multa latina recepit⁵⁷).

⁵⁴) Fulcherii Carnotensis Historia Hierosolymitana (1095—1127) herausgegeben von Heinrich Hagenmeyer, Heidelberg 1913, p. 831.

⁵⁵) Ibidem, p. 834. Ambo textus inveniuntur quoque apud: Jacques Bongars, *Gesta Dei per Francos*, 2 tomi, Hanoviae 1611.

⁵⁶) Cf. Ch. Kohler, *Un rituel et un bréviaire du Saint-Sépulcre de Jérusalem (XII—XIII siècle)*.—*Revue de l'Orient latin*, Tome VIII (1900—1901), Paris, p. 420.

⁵⁷) Aleksiej Dmitrijewskij, *Opisanije liturgiczeskich rukopisiej, chraniaszczyschia w bibliotekach prawoslawnaego wostoka*, Tom I. Третья. Чзаст' първаја. Kiew 1895, p. 899—912.

Ita etiam in liturgia, quam abbas diebus dominicae Palmarum, Paschatis, Nativitatis Domini, Dormitionis Deiparae vel Dedicationis ecclesiae celebrabat, oratio latine, epistola et evangelium vero tum latine tum graece legebantur „ἐν τῇ λειτουργίᾳ τὴν ἀκολουθίαν Γραικῶν καὶ Λατίνων συννεμένην“⁵⁸). Sed cl. A. Rocchi usum illum iam multo prius ante Blasium II in monasterio obtinuisse testatur; quapropter in graeco evangeliario olim ad coenobium pertinente hodie autem vat. graeco 781 epistolae et evangelia quaedam latina inserta inveniuntur⁵⁹). Quam consuetudinem ex visitatione monasterii iubente Xysto V mense iunii anno 1586 a protectore peracta perduravisse patet⁶⁰).

Die 26 septembris 1881 novae portae et altare consecrata sunt. Abbas more pontificali celebrabat, atque iuxta vetustam monasterii consuetudinem, quamvis a longo temporis spatio intermissam epistola et evangelium graece et latine legebantur⁶¹).

Nostro vero tempore quotannis die 26 septembris in festo S. Nili abbas in liturgia graeca orationem de sancto latine cantat, deinde etiam epistola et evangelium a ministris latinis latine cantantur.

Generatim in ecclesiis ritus byzantini tum catholicis tum dissidentibus usus legendi die Paschatis in liturgia vel in vespere evangelium S. Johannis in quam plurimis linguis tum sacris tum vulgaribus usque adhuc servatur. Ita in Russia ab episcopo celebrante initium evangelii S. Johannis lingua liturgica slava legitur, et a sacerdotibus in linguis necessario hebraica, graeca et latina, ac deinde etiam in vulgaribus repetebatur⁶²). Quo fine Synodus ecclesiae russae aliquando splendidam editionem primi capituli evangelii S. Johannis in octo linguis curavit. Tempore vero lectionis evangelii post unamquamque periodum omnibus campanis (wo wsia) sonatur.

⁵⁸) Aleksiej Dmitrijewskij, Opisanije liturgiczeskich rukopisiej, chrniaszczysia w bibliotekach prawosławnego wostoka. Tom I. Торона. Czast' pierwaja. Kiew 1895, p. 905.

⁵⁹) Antonius Rocchi, De coenobio Cryptoferratensi eiusque bibliotheca et codicibus praesertim graecis commentarii, Tusculi 1893, p. 56.

⁶⁰) Ibidem, p. 120.

⁶¹) Ibidem, p. 232.

⁶²) Alexios von Maltzew, Fasten- und Blumen- Triodion, Berlin 1899, p. XCV- XCVI.

In Romania in ecclesiis cathedralibus die Paschatis meridie evangelium S. Johannis XX, 19—26 in 12 linguis liturgicis et vulgaribus canitur, quo modo 12 Apostoli praedicantes symbolice repraesentantur.

Ordinarie modus cantandi est sequens. Incipit celebrans propria liturgica lingua, deinde alii sacerdotes vel diaconi variis linguis periodum post periodum usque ad finem repetunt. Constantinopoli vero cum die Paschatis patriarcha solemniter celebret, episcopi, archiepiscopi vel alii praelati in urbe illa praesentes, perinde est ad quem ritum vel nationem pertineant, omnes vestes sacras graecas induunt et post patriarcham graeco idiomate initium evangelii S. Johannis incipientem periodum in variis linguis repetunt. Qua occasione episcopi illi ut ministri ecclesiae graecae considerantur et proinde vestimenta quoque graeca induunt⁶³).

„Quod fit, — ut P. Nilles S. J. opinatur, — ad significandum praedicationis evangelicae consensum per totum orbem ab Apostolis uniformiter factum, licet diversis linguis et in remotis terrae partibus“⁶⁴).

Aliquid simile habemus in aliis quoque ritibus catholicis. Ita nationi Illyricae Papa Hadrianus II anno 869 liturgiam romanam in lingua slava concessit; anno vero 879 Johannes VIII praecepit, ut in omnibus ecclesiis Moraviae „propter maiorem honorificentiam evangelium Latine legatur et postmodum Sclavonica lingua translatum... adnuntietur“⁶⁵). Idem de lectione epistolae dicendum est.

Hodie in ecclesiis Slavorum meridionalium etiam cum lingua liturgica latina, „ubi lingua slavica invaluit, ut cantatis latino sermone Epistola et Evangelio, utrumque canatur etiam lingua palaeoslava“ permittitur⁶⁶). Quod ibidem aliquando lingua quoque vulgari facere licet. Ita in universa Dalmatia et finitima Istria, necnon in ecclesia nationali S. Hieronymi Slavorum Romae diebus festis principalioribus, et in ecclesiis paroecialibus dioecesis Ra-

⁶³) *Ἡ ἀγία καὶ μεγάλη ἑβδομάς*, Constantinopoli, Phanar 1906, p. 324.

⁶⁴) Nicolaus Nilles, S. J., *Kalendarium Manuale utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis*², Oeniponte, Tom. II, 1897, p. 315.

⁶⁵) Mansi, 17 A, col. 182.

⁶⁶) S. C. Rituum, 13 februarii 1892, nr. II (Coll. Prop. II, p. 271, nr. 1785); deinde die 5 augusti 1898 (Decreta authentica, nr. 3999, ad X), et 18 decembris 1906 (Decreta authentica, nr. 4196 ad X).

gusiensis etiam omnibus diebus dominicis et festis de praecepto consuetudo epistolam et evangelium praeter quam in lingua latina cantandi etiam in lingua illyrica vel croatica hodie viget⁶⁷⁾.

Saeculo XVII in ritu graeco nonnullae liturgiae partes lingua albanica legebantur. Quod ex folio aliquo Codicis B 112 bibliothecae Ambrosianae inferre licet. Folium nempe 63 paschalem hymnum *Χριστός ἀνέστη* graece et albanice, litteris tamen graecis, cum notis musicis, et in verso lingua albanica evangelium S. Matth. XXVII, 62—66 scripta continet. Evangelium illud in ritu byzantino sabbato sancto in fine officii *ἕρθρος* canitur, quod officium feria VI anticipatur et in quo mors et sepultura Christi celebratur⁶⁸⁾.

Deinde apud Syros lingua liturgica principalis syriaca est, subsidiaria vero „ut populus sacri ritus sensus sublimes intelligat“, arabica est. Proinde in vespers ac in missa solemnibus, minus in omnibus dominicis ac festis, saltem in 18 maioribus festivitatibus, evangelium primum syriace deinde arabice legitur. Solum in vigilia Nativitatis Domini, in Sabbato Sancto et in festo S. Ephraemi sollemnis missa integre in lingua syriaca celebrari praecipitur⁶⁹⁾.

Similiter apud Maronitas statuitur, ut „in missis saltem solemnioribus epistola et evangelium prius Syriace, deinde Arabice legantur“⁷⁰⁾.

Id etiam apud Melchitas in Syria in linguis graeca et araba legitur. In multis vero ecclesiis latinis in Syria et in Palaestina

⁶⁷⁾ Dr. L. Jelič, *Slavorum meridionalium catholicorum liturgicae linguae*, Pragae Bohemorum 1906, p. 10—12.

⁶⁸⁾ Quem textum Nilo Borgia Ieromonaco di Grottaferrata in opusculo: *Pericope Evangelica in lingua albanese del secolo XIV da un Manoscritto Greco della Biblioteca Ambrosiana* (Studi liturgici. II serie, fascicolo secondo). Grottaferrata, 1930, publicavit. Auctor infeliciter in titulo *Pericope... del secolo XIV* posuit. Revera Codex B 112 Ambrosianae ad saeculum quidem XIV pertinet, sed folium 63 postea additum est et origo eius ad saeculum XVII referri debet. Doctus vir Lampros illos duos textus in lingua albanica scriptos in periodico *Νέος Ἐλληνομνήμων*, tomus III, 1906, p. 481—482 edidit. — Cf. etiam recensionem a RP. S. Salaville in *Échos d'Orient*, 1931, p. 117 scriptam.

⁶⁹⁾ Synodus Sciarfensis Syrorum anno 1888 celebrata, Art. II. De lingua liturgica, p. 34—36.

⁷⁰⁾ Constitutiones et canones Synodi Montis Libani 1736, pars II, cap. XIII, 11. — Mansi, 38, col. 120.

sacerdos in lingua arabica epistolam et evangelium aut saltem evangelium, postquam latine lectum est, in lingua arabica relegit ⁷¹).

In Aegypto superiore existebant ecclesiae et conventus, in quibus evangelium primum in lingua graeca deinde etiam in saidica legebatur. Vel etiam epistola et evangelium graece et coptice legebantur. Hodie autem coptice et arabice leguntur ⁷²).

Deinde in ritu copto tum in hebdomada sancta tum in hebdomada Paschatis lectiones sacrae graece et arabice fiebant ⁷³). Nestoriani quoque saltem tempore adventus et in octava Paschatis in suo ritu epistolas primum syriace deinde in lingua quoque soghdica legebant. Quod probabiliter de lectione evangelii quoque dicendum est ⁷⁴).

Aliis in occasionibus quoque in sacris ritibus lingua graeca latinae miscebatur. Ita olim Paula vidua romana post mortem sui mariti austeram vitam duxit ac studio sacrae Scripturae incumberebat. Peragratis sacris Judaeae locis atque Aegypto Alexandriam usque, in Betlehem consedit. Ibi coenobium exstruxit et post vitam virtutum plenam anno 404 mortua est. Corpus eius vicine ad sepulchrum Domini sepultum est. Quasi tota Palaestina ad eius funera concurrat. Nunc S. Hieronymus in epistola CVIII ad Eustochium vitam Paulae enarrans de funeribus eius ita scribit: „Graeco, Latino, Syroque sermone Psalmi in ordine personabant: non solum triduo, donec subter Ecclesiam, et juxta specum Domini conderetur; sed per omnem hebdomadam...“ ⁷⁵).

In Gallia quoque in sacris ritibus latinis olim cantus graecus resonabat. Saeculo nempe V ac VI urbs Arelatensis ex graecis et latinis populabatur; Massiliae vero iam ante saec. VI graeca colonia Focaeensis domicilium sibi constituit. Proinde S. Caesarius episcopus Arelatensis, ut eius fideles graeci in sacris partem haberent, anno 502 psalmos, hymnos ac antiphonas in lingua quoque graeca cantare ordinavit. Cyprianus episcopus Telonii et

⁷¹) P. Cyrille Charon, opus cit., p. 31 in nota 3.

⁷²) Cf. Oriens Christianus, Neue Serie. Band 2, Leipzig 1912, p. 27.

⁷³) Cf. Dr. Anton Baumstarck, Das Leydener griechisch-arabische Perikopenbuch für die Kar- und Osterwoche (Oriens Christianus. Neue Serie. Band 4, Leipzig 1915, p. 39—58).

⁷⁴) Cf. Dr. A. Baumstarck, Die christlich-literarischen Turfan-Funde (Oriens Christianus. Neue Serie. Band 3, Leipzig 1913, p. 329).

⁷⁵) Migne, PL. 22, col. 905.

discipulus S. Caesarii postea in eius vita a se scripta testatur: „Adjecit etiam atque compulit (Caesarius), ut laicorum popularitas psalmos et hymnos pararet altaque et modulata voce instar clericorum, alii Graece, alii Latine prosas antiphonasque cantarent, ut non haberent spatium in ecclesia fabulis occupari“ ⁷⁶⁾).

S. Felix episcopus, qui ab anno 708 usque ad annum 716 ecclesiam Ravennatensem gubernabat, suo praedicatori Joannicio praecepit, ut antiphonas praecipuorum dierum festorum latinas in linguam graecam verteret, quae deinde in ecclesia cathedrali recitabantur. De qua re Agnellus, abbas S. Mariae ad Blachernas, in suo Libro Pontificali Ecclesiae Ravennatensis, ubi de vita S. Felicis quoque narrat, cap. VI testatur: „...sapientissimus Joannicius istius in temporibus claruit et rogatus a pontifice ut omnes antiphonas, quas canimus modo Dominicis diebus ad crucem, sive sanctorum apostolorum, aut martyrum, sive confessorum, nec non et virginum, ipse exponeret non solum Latinis eloquiis sed etiam Graecis verbis, quia in utraque lingua fuit maximus orator“ ⁷⁷⁾).

Similiter aliquando Neapoli fiebat: „In qua laici simul cum clericis assidue graece latineque communi prece compte psallunt Deo debitumque persolvunt iugiter officium“ ⁷⁸⁾).

Acta Sanctorum, populum graecum simul cum latinis in translatione corporum Sanctorum partem habuisse, saepe narrant. Ita anno 877 corpus S. Athanasii episcopi de Monte Cassino Neapolim asportabatur, qua occasione proinde: „Confluebant uterque sexus et aetas diversa, et qualiter poterant, psalmodiae cantus variusque linguarum, graece et latine suavi modulatione resonabant“.

Similiter anno 893 in translatione corporis S. Severini Norici ex Castello Lucullano iterum Neapolim: „Postero autem die Pontifex et Clerus (neapolitanus) Dux, et Optimates, passimque populus universae conditionis et aetatis matutino tempore properantes, se in occursum cum Dominicae Crucis vexillis, odoriferisque incensis, in praemissi oppidi (Lucullani) campo sanctis exuviis obviarunt... et alternantibus choris Latinis et Graecis, ad monasterium saepifati Abbatis deducunt“.

⁷⁶⁾ Migne, PL. 67, col. 1008.

⁷⁷⁾ Migne, PL. 106, col. 709.

⁷⁸⁾ Martene, De antiquis ecclesiae ritibus, Lib. I, cap. III, art. II, nr. 9.

Eodem anno 893 Neapoli monachi monasterii S. Severini cinera S. Sosii ex antiqua urbe Miseno Promunturio asportata receperunt: „Tunc nihilominus Joannes Abbas nuncio nostro excitus, cum omnibus Monachis, quos invitaverat, devenit, et gratiarum actione in Deum celebrata, per totam noctem, unanimes graecam latinamque psalmodiam sonoris vocibus concreparunt“.

In Malta duae ecclesiae paroeciales ritus graeci exstabant. Feria V in Parasceve et die Paschatis in processionibus graecorum etiam clerus latinus procedebat. Et vicissim die 12 martii graeci in processione latina participabant⁷⁹⁾.

Insula Creta anno 1204 in dominium Venetiorum venit. Die vero 3 iulii 1260 Alexander IV latinum archiepiscopum metropolitam super quatuor episcopis graecis constituit. Proinde in sollemnioribus diebus festis latino archiepiscopo celebranti graeci episcopi pontificalibus induti assistebant. Praelatus graecus epistolam et graecus episcopus evangelium graece cantabant. Deinde in processionibus latinis graeci propria cruce necnon icona Beatissimae Dei Matris delata vestibus proprii ritus induti praecedebant, deinde maronitae, copti, armeni et syri similiter propriis sacris vestibus ornati sequebantur, et in fine inter latinum clerum archiepiscopus metropolita incedebat.

Similiter ad synodum ab archiepiscopo convocatam tum episcopi graeci tum uterque insulae clerus convenire tenebantur⁸⁰⁾.

Deinde et eadem Candia civitate metropoli Cretae feria VI in Parasceve archiepiscopus latinus cum solemnibus supplicatione ac comitantibus utriusque ritus clero, laicis et sodalitatibus SS. Eucharistiam deferebat. Qua caeremonia sacra in latina cathedrali ecclesia S. Titi finita, graeci ad primarium sui ritus templum S. Mariae Angelorum discedebant. Ibi novam magnificentissimam

⁷⁹⁾ Rodotà, III, p. 235.

⁸⁰⁾ Cnf. I. I. Sokołow, „Kiprskaja pravoslavnaja cerkow“, in N. N. Głubokowski, Bogosłowska Encykłopedija, tom X. SPB. 1909, p. 100—104. De versione graeca bullae Alexandri IV vide in „Bessarione“, Serie II, 1905, vol. VIII, p. 141—149. Similiter in Regno Cypri, ubi magna diversitas rituum aderat, anno 1340 provinciale concilium Nicosiense in praesentia plurium episcoporum Graecorum, Armenorum et Maronitarum, „et aliarum nationum videlicet Nestorianorum et Jacobitarum rectoribus, et aliorum clericorum latinorum et graecorum et dictarum nationum multitudine copiosa“, celebratum est. (Mansi, 26, col. 372).

supplicationem instaurabant, in qua imago defuncti Christi iacentis, in cuius pectore aureus calix cum SS. Eucharistia in fermentato confecta collocatus erat, in feretro posita efferebatur. Supplicatio illa usque ad latinam ecclesiam cathedralem procedebat, ubi obvii archiepiscopus latinus cum clero, patitiis et magistratu veneto occurrebant, ac deinde omnes cereas faces manu deferentes in sollemni ac splendida processione ad S. Mariam Angelorum revertebantur. Latini enim numero ibi inferiores festa simul cum graecis, qui calendarium Gregorianum accipere noluerunt, celebrandi indultum obtinuerunt. Deinde ab exordiis dominii veneti in insula Creta ter in anno, diebus scilicet festis Epiphaniae, Omnium Sanctorum et S. Titi, Graeci in latina ecclesia cathedrali coram latino archiepiscopo pontificalibus induto et super thronum inter clerum latinum et graecum sedente Romano Pontifici et eidem latino Cretae archiepiscopo laudes decantabant, atque postea protopapa praecedente ad manum archiepiscopi osculandam ascendebant. Qua occasione archiepiscopus protopapae aliquam gratiam indulgebat⁸¹⁾.

Similiter, postquam Venetii anno 1386 insulam Corcyram occupavissent et a Sancta Sede archiepiscopum latinum accepissent, diebus solemnioribus in urbe insulae capitali processiones duobus archiepiscopis graeco et latino ac clero utriusque ritus participantibus peragebantur. Rituale processionum in lingua graeca scriptum est. Textum vero ritualis antiqui graecum necnon versionem italianam saeculo praeterito H. Lunzi in capite XI sui libri, hodie rarissimi, edidit⁸²⁾.

Processiones illae ibi fiebant etiam, licet archiepiscopus graecus aliquando schismaticus esset. Ita in sollemnitate Corporis Christi celebris processio fieri solebat, in qua graeci et latini bini incedebant, dexteram istis, sinistram illis manum tenentibus, et postremo hinc ad dexteram archiepiscopus latinus, inde ad sinistram episcopus graecus schismaticus incedebat. Sedes Apostolica timendo ne ex prohibitione damna, perturba-

⁸¹⁾ Flaminius Cornelius (senator venetus), *Creta Sacra sive de episcopis utriusque ritus graeci et latini in insula Cretae*. Venetiis 1755. Tom. II, p. 30—32.

⁸²⁾ H. Lunzi, *État politique des sept îles Ioniennes sous la domination Vénitienne* (en grec), Athènes, 1856. Idem in lingua italiana, Venetiis 1857.

tiones, vel alia mala sequerentur, illam caeremoniam tolerari permisit. Cum vero de simili processione archiepiscopus Antiochensis Sanctam Sedem consultus esset, Benedictus XIV ut illicitam communicationem in sacris prohibuit⁸³).

Hodie in latinis processionibus die festo Corporis Christi in Polonia meridionali interdum sacerdotes rutheni propriis vestibus sacris induti simul cum latinis procedunt. Constantinopoli vero presbyteri armeni⁸³) et graeci et in Syria sacerdotes melchitae iisdem in occasionibus similiter faciunt.

Nunc de aliis quoque circumstantiis extraordinariis, cum graeci in latinorum sacris participabant, dicendum est.

Imprimis in concilio Lugdunensi II in solempni missa papali ministri, vestimentis quidem proprii graeci ritus induti, epistolam et evangelium graece legebant. Cardinales et patres latini Symbolum latine, Patriarcha vero Constantinopolitanus et graeci archiepiscopi Calabriae graece cantabant. Episcopi graeci in concilium venerunt ornati insignibus episcopalibus latinis, quorum usus ipsis hac vice a Papa concessus est, ne ipsi latinis episcopis inferiores viderentur. „Eodem anno (1274), et mense (iunii), die vigesima octava, in festo Apostolorum Petri et Pauli, dominus papa celebravit missam in maiori ecclesia sancti Joannis Lugdunensis, existentibus ibidem omnibus cardinalibus, et praelatis, qui ad concilium fuerant evocati: lecta est epistola in Latino, et Graeco, et cantatum est evangelium per dominum Othobonum in Latino, et quemdam diaconum Graecorum in habitu, in quo Graeci solent cantare, in Graeco, post eum. Quibus dictis, frater Bonaventura fecit sermonem suum ad finem: postea vero cantatum est Symbolum, scilicet Credo in unum Deum, in Latino, incipientibus dominis cardinalibus, et episcopis, qui sicut cantores, seu primicerii, tenuerunt chorum in cantu, et prosequentibus canonicis eiusdem ecclesiae. Post hoc vero immediate praedictus patriarcha, cum omnibus Graecis archiepiscopis de Calabria, et frater V. de Morbecca, de ordine fratrum Praedicatorum, et frater Joannes de Constantinopoli de ordine fratrum Minorum, poenitentiarum domini papae, qui linguam Graecam noverant, cantaverunt solempniter et alta voce praedictum symbolum: et quando ventum est ad articulum illum, *Qui a Patre, Filioque*

⁸³) S. C. S. Officii, 24 februarii 1752 (Coll. Prop. I, p. 226, nr. 384).

⁸⁴) S. C. de Prop. Fide, 9 maii 1842, 26 iunii 1843.

procedit; solemniter, et devote ter cantaverunt. Quo symbolo finito, idem patriarcha, archiepiscopi, et logotheta, cum aliis cantaverunt laudes solemnes in lingua Graeca domino papae, et post haec Missa per ipsum dominum papam, stantibus Graecis praedictis, juxta altare prosecuta est, et completa⁸⁵⁾.

Deinde die 6 iulii in octava sanctorum apostolorum Petri et Pauli facta est quarta sessio: „Et tunc dominus papa reverenter incoepit, *Credo in unum Deum*, in Latino, quod per eum qui sine mitra stabat, et totum concilium prosecutum est et completum. Quo completo, Patriarcha Graecorum incoepit similiter, *Credo in unum Deum*, in Graeco: quod per eum, et Archiepiscopum Nicosiensem, et alios Graecos qui secum venerant, et alios archiepiscopos, et abbates Graecos de regno Siciliae, prosecutum est et completum: dicendo publice, et solemniter, *Qui a Patre, Filioque procedit*: cantando eum bis⁸⁶⁾.

Tempore quoque concilii Florentini anno 1439 Graeci in caeremoniis latinis et latini in caeremoniis graecis participabant. Patriarcha enim Constantinopolitanus Joseph II sentiens se mox moriturum, professionem fidei praecise super articulis disputatis ac de quibus consensus virtualiter iam factus erat, scripto redactam consignavit. Revera in nocte inter 10 et 11 iunii patriarcha ut catholicus mortuus est. Proinde cum graeci eius funera in ecclesia S. Mariae Novae peragebant, Cardinales, archiepiscopi et episcopi quoque latini praesentes erant. Fueritne Papa praesens, ex actis non constat. Unione deinde facta, Eugenius IV die 8 iulii in ecclesia S. Mariae Liberatae solemniter celebrabat, Graeci vero propriis vestibibus sacris induti Pontifici assistebant. Missa finita, litaniae cantatae sunt, ac demum constitutio *Laetentur caeli* primum a Cardinali Juliano a Sancta Sabina latine deinde a metropolita nicaeno Bessarione graece lecta est.

Anno 1818 Romae graecus metropolita titularis Joseph Ajlouni, qui episcopus ordinans in ritu graeco et interpres S. C. de Propaganda Fide erat, mortuus est. Funera eius secundum expressam voluntatem Papae Pii VII solemnissime peracta sunt. Officia funebria praesente corpore in basilica S. Clementis se-

⁸⁵⁾ Mansi, 24, col. 64—65.

⁸⁶⁾ Mansi, 24, col. 66.

cundum ritus byzantinum, maroniticum, armenum ac romanum celebrata sunt⁸⁷⁾.

Die vero 8 aprilis 1861 Pius IX primum electum archiepiscopum bulgarum archimandritam Josephum Sokolskij consecrabat. Cum Sokolskij pius quidem senex sed simplex esset neque linguam latinam calluisset, proinde tum missa tum romanus ritus consecrationis episcopi in idioma slavum traducta sunt. Papae Pio IX in caeremonia praedicta titularis metropolita graecus Romae residens et quidam latinus episcopus gallus assistebant. Pontifex sicut ordinarie missam lingua latina celebrabat, electus vero in lingua slava. In fine neoconsecratus populo ritu quidem romano sed lingua slava et in tono gregorianico benedicebat⁸⁸⁾.

Die 2 maii 1865 in festo S. Athanasii et vigilia canonizationis beati Josaphat Kuncewicz, archiepiscopi Polocensis, Pius IX in ecclesia collegii graeci in Urbe liturgiae in ritu rutheno celebratae assistebat. Lecto evangelio, celebrans librum osculatus non est, sed ministri portaverunt librum Cardinali assistenti, qui illum Papae ad osculandum porrexit. Papa osculo facto formulam romanam: Per evangelica dicta deleantur nostra delicta clare pronuntiavit. Post communionem ipse celebrans Papae patenam ad osculandum portavit. Pontifex totam liturgiam praeter evangelium genuflexus audivit. A „Sanctus“ vero usque ad communionem quatuor pontificii cappellani secreti *cotta* induti ac cereos accensos manu tenentes ante altare secundum ritum romanum genua ponebant⁸⁹⁾.

Die 12 februarii 1908 occasione iubilaei S. Johannis Chrysostomi, in magno atrio, Beatificationum dicto, in Vaticano Beatitudo Cyrillus VIII, Patriarcha Antiochenus Graeco-Melchitarum, quam solemnissime celebrabat. Concelebrantes erant metropolita ruthenus, duo metropolitae graeco-melchitae, metropolita graecus, episcopi bulgarus et graecus, novem archimandritae, decem presbyteri ac septem diaconi. Liturgia in iis partibus, quae alta voce dicuntur, lingua graeca celebrabatur, in reliquis vero, quae submissa voce enuntiantur, unusquisque celebrantium secundum

⁸⁷⁾ Cf. Moroni, t. XXXII, p. 143.

⁸⁸⁾ Cf. P. Cyrille Charon, Le quinzième centenaire de S. Jean Chrysostome (407—1907), Rome 1909, p. 50—52.

⁸⁹⁾ Ibidem, p. 52—55.

antiquum usum Orientis propria lingua liturgica, scilicet slava, graeca vel araba legebat. Summus Pontifex, liturgiae praesidens ac super thronum sedens, incensum et ministros sacros benedicebat, salutem pacis, orationes, quibus canon incipitur vel finitur, benedictionem finalem necnon alias preces in lingua graeca recitabat. Ad osculum pacis Cardinalis Rampolla ad altare procedebat, ibi velum, quo dona sacra cooperiuntur, osculatus est et pacem recepit a Patriarcha, qui graece dicebat: Christus sit in medio nostrum. Cardinalis latine respondebat: Et cum spiritu tuo. Deinde pacem Summo Pontifici et duobus Cardinalibus diaconis Summo Pontifici assistentibus ferebat. Tunc primus diaconus graecus pacem ferebat Sacro Collegio atque aliis praelatis, unicuique graece dicens: Christus sit in medio nostrum; et illi latine: „Et cum spiritu tuo“ respondebant. Osculo pacis finito, Cardinales circa thronum Papae se sistebant, et simul cum Pontifice Symbolum Nicaenum latine recitabant, dum ad invitationem diaconi chorus Symbolum graece cantaret. Throno vero pontificio inter alios Patriarcha quoque Antiochenus Syrorum et archiepiscopus titularis armenus assistebant⁹⁰).

Ritus orientalis aliquo modo semper in cappella papali repraesentatus est. Nam post Cardinales, patriarchas et episcopos throno pontificio assistentes secundum ordinem inter episcopos throno non assistentes episcopi quoque orientales Romae ad ordines conferendos residentes veniunt. Qua occasione unusquisque eorum paramentis pontificalibus proprii ritus indutus est. Ita die 2 martii 1908 Cyrillus VIII patriarcha Antiochenus Graeco-Melchitarum cum suis episcopis in officio funebri pro rege Lusitaniae celebrato praesens erat. Archimandrita vero monasterii Basilianorum Messanensis in cappella papali inter omnes latinos abbates mitratos primum locum obtinebat. Cum hodie monasterium non existat, proinde merus titulus praedicti archimandritae manet⁹¹).

Quaenam sit ratio illarum lectionum graecarum in romana liturgia?

⁹⁰) P. Cyrille Charon, *Le quinzième centenaire de S. Jean Chrysostome* (407—1907), Rome 1909, pp. 28, 82, 98, 99, 107. Cf. Mons. Carlo Respighi, *A proposito del Pontificale greco con l'assistenza del Sommo Pontefice*, — *Rassegna Gregoriana*, t. VII (1908), col. 60—62.

⁹¹) Cf. Moroni, t. VIII, p. 216, 232.

Initio ratio certe realis aderat. Nam usus ex. gr. legendi in missa papali epistolam et evangelium graece ex tempore procedit, cum tum Romae, tum in tota Italia, vel in Gallia meridionali simul cum Latinis Graeci degebant. Ipsi enim officii latinis praesertim a Papa celebratis praesentes adstabant. Ecclesia vero, ut partes liturgiae saltem scripturisticae a populo intellegerentur, semper curabat. In Palaestina enim usus Synagogae textum sacrum lingua veteri hebraica scriptum statim in linguam vulgarem aramaicam traducendi primae communitates christianae receperunt. Ita a S. Epiphanio inter ordines et gradus in ecclesia existentes interpretes quoque ponuntur: „...καὶ ἐρμηνεύται γλώσσης εἰς γλώσσαν ἢ ἐν ταῖς ἀναγνώσεσιν ἢ ἐν ταῖς προσομιλίαις...“. Scilicet: „...Post illos omnes ordines deinceps exorcistae sequuntur, et interpretes ex una lingua in aliam vel in lectionibus vel in concionibus...“⁹²).

Revera Scythopoli tempore Diocletiani imperatoris Procopius „ecclesiae tria ministeria praebebat: unum in legendi officio, alterum in Syri interpretatione sermonis, et tertium adversus daemones manus impositione consummans“⁹³). Procopius ergo in urbe illa officium lectoris et exorcistae implebat, sacras enim scripturas, quae in ecclesia graeco sermone legebantur, plebi, quae graece nesciebat, lingua vernacula i. e. aramaica interpretabatur⁹⁴).

In fine eiusdem saeculi IV Hierosolymis praedictum officium sacerdos implebat. Et pro numerosis peregrinis ex Occidente ibidem vocalis traductio in lingua quoque latina praestabatur. Etenim Aetheria vel Eucheria testatur: „Et quoniam in ea provincia (i. e. Palaestina) pars populi et grece et siriste novit (συριστί = aramaice), pars etiam alia per se grece, aliqua etiam pars tantum siriste; itaque quoniam episcopus, licet siriste novit tamen semper grece loquitur et nunquam siriste, itaque ergo stat semper presbyter qui, episcopo grece dicente, siriste

⁹²) Expositio fidei, cap. XXI (Migne, PG., 42, col. 825).

⁹³) Acta Sanctorum. Iulii, II, p. 556. Passio S. Procopii Lectoris.

⁹⁴) Cf. Theodor Zahn, Forschungen zur Geschichte des neutestamentlichen Kanons und der altkirchlichen Literatur. I Theil: Tatians Diatessaron, Erlagen, 1881, p. 19; Theodor Zahn, Geschichte des Neutestamentlichen Kanons. I Band, Erlangen, 1888, p. 43; Emil Schürer, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi⁴. Leipzig 1907, Band II, p. 85, 535.

interpretatur, ut omnes audiant quae exponuntur, lectiones etiam, quaecumque in ecclesia leguntur, quia necesse est grece legi, semper stat qui siriste interpretatur, propter populum, ut semper discant. Sane quicumque hic (Hierosolymis) latini sunt, id est qui nec siriste nec grece noverunt, ne contristentur, et ipsis exponitur eis, quia sunt alii fratres et sorores grecolatini (i. e. linguas graecam et latinam scientes), qui latine exponunt eis“⁹⁵).

Similiter S. Johannes Chrysostomus Constantinopoli Gothis per interpretes praedicabat. Theodoretus enim episcopus Cyrensis in sua Historia ecclesiastica de Sancto ita testatur: „Scythicam praeterea gentem Arianicis retibus captam videns, contra et ipse machinatus est, et captandi viam invenit. Nam ejusdem ipsorum linguae presbyteros, et diaconos, et divinarum Scripturarum lectores ordinans, unam eis ecclesiam assignavit, horumque opera multos ab errore vindicavit. Saepius etiam ipse illo se conferens dissebat, interprete usus aliquo utriusque linguae perito, et erga eos qui disserere poterant, ut idem praestarent satagebat. Atque haec ille intus in urbe assidue gerebat, multosque ex iis qui decepti fuerant revocabat, veritatem illis ostendens praedicationis apostolicae“⁹⁶).

Deinde cum ecclesia armena spatio centum ad minus annorum prius quam armena biblia existisset, proinde lectiones scripturísticas in liturgia voce traduci debuisset, recte inferitur.

Tempore vero Caroli Magni homiliae SS. Patrum ex lingua latina in linguam francorum vel etiam in romanam popularem traductae sunt. Concilium Rhemense II anno 813 in canone XV statuit: „Ut episcopi sermones et homilias sanctorum patrum, prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem linguae praedicare studeant“⁹⁷).

Et concilium Turonense III eodem anno in canone XVII: „Visum est unanimitati nostrae, ut quilibet episcopus habeat homilias continentes necessarias admonitiones, quibus subjecti erudiantur ... Et ut easdem homilias quisque aperte transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere quae dicuntur“⁹⁸).

⁹⁵) L. Duchesne, *Origines du culte chrétien*⁵. Paris 1925, p. 541.

⁹⁶) Lib. V, cap. 30. De Gothorum ecclesia (Migne, PG. 82, col. 1257).

⁹⁷) Mansi, XIV, col. 78.

⁹⁸) Mansi, XIV, col. 85.

Posterioribus tamen temporibus ad rationem illarum in utraque lingua lectionum naturalem ratio quoque moralis seu idealis accessit. Graecis illis et latinis simul lectionibus enim, similiter sicut ritu dedicationis ecclesiae, cum episcopus in pavimento alphabetum graecum et latinum scribit, unitas catholicae Ecclesiae quam optime repraesentatur. Quod iam Amalarius verbis: „propter unanimitatem utriusque populi“, vel etiam Pseudo-Alcuinus: „ut unum eius populum nos esse ostendamus, unumque Deum utrumque populum credere“ innuebant⁹⁹⁾.

Pińsk

Alexius Petrani,
Prof. Seminarii Cler.

⁹⁹⁾ Cf. Dr. C. Caspari, Ungedruckte, unbeachtete und wenig beachtete Quellen zur Geschichte des Taufsymbols und der Glaubensregel, vol. III, Christiania 1875, p. 497—510; Dr. Valentin Thalhofer, Handbuch der katholischen Liturgik², I Band, Freiburg im B., 1912, p. 227.